

## ECLOGA DAVID MONEY

LYCIDAS, MENALCAS, CORYDON interlocutores

LYC. Salvete, o pueri, Grantae qui stagna colentes  
Uvida pastorum priscam defenditis artem, O Corydon vivax, tuque,  
o generose Menalca Per tantas calamis curas insignis amator  
Nympharumque: mihi verum nunc dicite: cuius Est pecus hoc  
nitidum? Si gressus sit dignus honoris, Grex hominum egregius  
spatiatur ad atria Clara: Nonne sui memores nostros fecere  
loquendo?

MEN. Rectius, o Lycida, dixisti: rarius unquam  
Te audivi ignavum dictis meliora carentem. Ille vadis late notus,  
Clarissimus ille Fordus agit semper, moderatur, et omnibus alma  
Hic ditione placet; Sartor sed suavis adornat Symposium, qui tangit  
acu impletque hiatum.

COR. Perge, puer: nescis rem recte elidere: primus  
Quis fuit orator? [MEN.] Piepho: nam Pi fuit ille Graecorum  
numeris, magico mensura per orbem Robore. Tam purum fudit sua  
Mantua carmen.

COR. Audire novum vatem (sic explicat Anna)  
Laetantes Galli. [MEN.] Ludis et rusticus olim (Proh Dolor!)  
Anglus oves agitatas esse fremebat Femineamque fidem, studii cum  
sedula pubes Effugeret solidas, lasciva Oxonia, portas.

COR. Denique ridendos noster Nummarius Anglos  
Praebuit, atque dies prima est sermone peracta.

MEN. Mane novo redeunt omnes: nam venit ab Indis  
Chaudhurius quidam paulo maiora datus, Scrutando geminos  
pastorum carmine sensus.

COR. Dein Helena<sup>1</sup> vegetam doctrinam accepimus: alter  
Vkgilius numeris vivens certabat amico  
Cum celebri Dante. [LYC.] Florebant, Arcades aequae,  
Verba licet surdum temnat resonantia vulgus.

MEN. Cuspide Caius apem parvam memoravit acuta:  
Exitialis enim laesique Cupidinis instar  
E minima sontes specie punire solebat.

LYC. Desine: vix sani renovas mea vulnera amoris,  
Infandum. [COR.] Peius discrimen rure Robertus  
Admonuit, nam turba mihi dilecta, marinos  
Quae scopulos habitat pisces victumque petendo,  
Iam nimis invalidis criticis indigna videtur.

LYC. Hei mihi! Iam pridem rapuit vis perfida pisces  
Et dolus Europae: num parcitur ecloga ponti?

MEN. Aureaque illudunt perfecti somnia piscis  
(Ingrid ait) bellique furor mulcetur amarus  
Paulisper. [COR.] Danos etiam Bellona movebat,  
Ruris at in bello non neglexere Camenas  
Dani (teste Petro).<sup>2</sup> [MEN.] Pastoris nomine gaudens  
Emma lupam lepida dubiam virtute fugavit,  
Saturnique dies conclusa est: fessa piorum  
Corpora pastorum recrearunt vina dapesque.

LYC. Laudo vina: bibant penitus qui cernere tantas  
Res cupiunt. Sed quis Saturni festa laccessat  
Solis sive diem coetu mentisve labore,  
'Weekend' quod dicunt Angli, Gallique 'le weekend'?

MEN. Sic visum est superis. Solito torpore caremus;  
Ast tu, cur aberas, Lycida? [LYC.] Nescisne, Menalca?  
Anglus quis lusum, qui dicitur esse cicadae,  
Quis potuit nescire? Sacer, cum venerit aestas,  
Usque fuit; tali tamen est gratissimus anno,  
Cum Cineres rapida virtute reposcere sanctos

<sup>1</sup>The names of those speakers at the Cambridge Pastoral Symposium whose papers are not included in the present volume are given here in notes, for the reader's convenience. So "Helena" here refers to Helen Cooper (Magdalene College, Cambridge), who spoke on "Arcades ambo: Dante's other Virgil."

<sup>2</sup>Peter Zeeberg (Copenhagen): "The theme of war in Danish Neo-Latin Bucolics from the 1570s."

Nituntur nostri. Volat ut pila iacta per auras,  
Sic salit in trepido gyro vehiturque meum cor.  
Quinque dies certant uno certamine: quinque  
Sunt plena serie durae certamina pugnae:  
Quintus adest ludus, ludi pars ultima restat;  
Anglia si titubat, Cineres Australia habebit  
Inclita: deinde vale, Cinerum praenobilis urna  
Post octo atque decem tandem annos paene recepta  
Incassum, nisi cras iterum magis obdurabunt.  
Cras tamen eventum pariter videamus, amici:  
Dicite nunc quae sint hodie sermonibus acta.

COR. Pastorem fidum scenis Pomerania vidit,  
Pandit ut Urbanus<sup>3</sup> bene rem, vir fidus et almus, Atque canis noti  
dominus.<sup>4</sup> [MEN.] Sequiturque Johannes Bucolicam monstrans aptatam  
ad sacra loquela, Gallus homo ut decorat puram maculaque carentem  
Parthenidem. [COR.] Mulier Pontani Gallica versus Explicuit lepide,  
vates qua misceat arte Prisca novis rebus. Nostri Miltonis avenam Haud  
aliter sevit Musarum cultor in hortis Ille Maro; filum duxit Victoria  
textus Inter cognatos. [MEN.] Obscuraque verba Petrarchae Pandebant  
pueris alii: Corolaeus<sup>5</sup> honorem Candidus accepit peragendi cuncta  
diserte. COR. Quique aderant grates habeant; audire decorum  
est Et responsa simul communia reddere dictis. Binns aderat,  
Brennusque sagax; nec Geoffrius Eatough Sprevit iter, quanquam fuerit  
longum atque molestum. Isidis e ripis subit Hardius (auguror autem  
Illum ad nos avibus redditum non sine faustis). Trans mare venerunt  
nonnulli, aut sub mare parvum

<sup>3</sup>Piotr Utbanski (Szczecin): "The Latin translation of the *Pastor Fido* byj. Winther (Stetin, 1607)."

<sup>4</sup>Cf. David Money's Latin ode, "Titus loquitur" (Titus is Piotr's famous dog); forthcoming, I hope, in a multilingual edition.

<sup>5</sup>Alejandro Coroleu (Nottingham): "Petrarch's *Bucolicum Carmen* and its commentators in sixteenth-century Europe."

Quod penitus docto non dividit orbe Britannos; Venit et inter eos  
iucundo Wauterus ore.

LYC. Quos omnes amplector amicos atque saluto.

Mortales sumus ac mortalia facta canamus: Qui Charites nostras  
acepit comiter, illum Admiror. Charites numquam convivia linquunt  
Nudatis miserae pedibus, vel dura querentes Fata. Suis quisquis votis  
indulgeat ampla Ex arca, aut alicui quondam fortasse poetae. Musa  
refert famam, servata absumit at heres.

MEN. Nos igitur decet hic tales reperire benignos,

Ne nimis inclusi generis pereamus in arco Carcere bucolici; renovat  
se semper abundans Mundus, et in mundo nova crudo rura colamus.